

7.

7

DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**CRISI FEBRIVM
ACVTARVM**
QVAM
CONSENSV GRATIOSÆ FACVLTATIS
MEDICÆ
PRO GRADV DOCTORIS
Ad d. Octobr. Anno MDCCXLII.
PLACIDÆ ERVDITORVM DIS^QVISITIONI SVBMITTET
GOTTLIEB HERTEL
SICKERSHVSA - ANSPACENS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

CRISTI FERRUM
AGAVARUM

COSAGANIA CLOVITOSA TAPATIATAN

MEDICINA

PRO GRADA DOCTORI

ANNAE MARIANAE

IN VENDEZUELA BOLIVIA PERU ECUADOR

GOTTIUS HERETI

PROGRADA DOCTORI

ANNAE MARIANAE

TURQUESA PERU BOLIVIA ECUADOR

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
**CAROLO GVILIELMO
FRIDERICO,**

MARGGRAVIO BRANDENBURGENSI, DVCI BORVS-
SIAE, SILESIAE, MAGDEBVRGI, STETTINI, POMERA-
NIAE, CASSVBIORVM, VANDALORVM ET MEGAPOLIS;
NEC NON CROSNIÆ; BVRGGRAVIONORIMBERGENSI; PRIN-
CIPI HALBERSTADII, MINDÆ, CAMINI, VANDALII, SVERI-
NI ET RACEBVRGI; COMITI HOHENZOLLERANO ET
SVERINI; DOMINO ROSTOCCHII ET STARGAR-
DÆ; COMITI SAYNE ET WITTGENSTEI-
NAE; DOMINO LIMBVRCI;
ET RELIQUA

PRINCIPI AC DOMINO MEO
LONGE CLEMENTISSIMO
AVGVSTISSIMAM AVGVSTI FELICITATEM.

CARLO GALLERMO
FRIEDRICO.

SERENISSIME MARCHIO,
PRINCEPS AC DOMINE

MVLTO CLEMENTISSIME

Tantæ omnino sunt virtutes, quibus
exornatus splendes, SERENISSIME
PRINCEPS, ut ad illas celebrandas
atque posteritati commendandas tantum absit,
ut vires meæ sufficiant, ut ne enarrare quidem
illas

illas valeam. Eminent Principibus dignissimæ,
DOMVI vero **TVÆ AVGVSTISSIMÆ**
propriæ, humanitas erga subiectos eximia & fa-
vor in eos, qui litteris debitam navant ope-
ram, plane singularis. Quid itaque mirum, quod
his ipsis ceu jucundissimis subiectorum vinculis
TIBI animosita habeas obstrictos, utquæ alii me-
tu coacti Principibus præstant obsequia, ea cives
TVI amore & pietate ducti non possint non
exequi lubentissime & observantissime. Si ad cœ-
lum usque extolluntur laudes Principum, qui re-
bus in bello præclare gestis triumphos de hosti-
bus agunt, sane eorum gloriam, qui justitia,
humanitate, moderatione & clementia felicita-
tem civium promovent, tanto has laudes merito
superare existimo, quanto ad mortalium utilita-
tem pacem bello præstare inter omnes constat.
Hæc lunt, **CLEMENTISSIME PRINCEPS**,
quibus effecisti, ut omnes, qui regimine **TVO**
indulgentissimo fruantur, de felicitate sua glo-
rientur. Hac clementia, qua, qui gnaviter
litteras

litteras excolunt, omnes complecteris, præ-
stisti, ut in terris, quæ mandata TVA ve-
nerantur, sapientia floreat. Hæ celebratis-
simæ PRINCIPIS OPTIMI, virtutes
& mihi dubitanti animum addiderunt, ut
ausus sim, hasce meas qualescumque studi-
orum primicias ad solium TVVM submis-
se deponere, supplicibusque obtestari preci-
bus, ut pro ea, qua soles in litterarum cul-
tores uti clementia, rudes hasce paginas tan-
quam ingenuum observantiaæ meæ documen-
tum meique animi devotissimi pignus cle-
mentissime suscipias. Quod reliquum est,
summum Numen rogo, ut TE, PRIN-
CEPS CLEMENTISSIME, omnibus,
quæ TE, TVVMque regimen beatissi-
mum reddunt, bonis cumulet, atque TE,
Patrem Patriæ, sublimiorum scientiarum Pro-
motorem, civium TVORVM spem ac
salutem, omnium litteratorum maximum so-
lamen & refugium cum ALTITVDINE
RE-

REGIA, SERENISSIMA TVA CONIV-
GE, SERENISSIMOQUE HEREDE, FI-
LIO PRINCIPE, ad seros usque annos in-
columem & florentem præstare velit. Est
hæc summa votorum, quæ demississima pietate concipit

SERENISSIME MARCHIO,

PRINCEPS AC DOMINE

MVLTO CLEMENTISSIME

SERENITATIS TVAE

Hala Saxonum
d. Octobr.

A. 1742.

CEPS CLEMENTISSIME
TVA
GOTTLIEB HERTEL.
RE

devotissimus subiectissimusque
Servus



PROOEMIVM.



Ihil in toto qua late patet, ter-
rarum orbe inveniri posse,
quod per se corpori huma-
no, machinæ a summo Nu-
mine artificiosissime exstru-
ctæ, noxam quandam inferre possit, iam in-
ter Philosophos res est demonstrata. Ista ve-
nena, quorum nomen adeo est terrificum, ab-
solute corpori nostro esse infensa, quis Medi-
corum statuit? Ergo si de salubritate vel insa-
lubri-

A

lubri-

PROOEMIVM.

lubritate alicujus corporis respectu machinæ nostræ disputetur, hæc ipsa corpora per certas circumstantias sunt determinanda. Multis hanc sententiam roborare possemus & argumentis & exemplis: sufficiat vero nobis, de febribus solummodo breviter commentari. De his multis abhinc annis quæstio agitata fuit, an absolute salutares sint nec ne? Fuerunt viri celeberrimi & magni nominis, qui omnino multis argumentis adstruere conabantur, omnem febrim a natura in finem excitari salutarem. Rectissime vero id negarunt alii, dum omnino quicquid est morbus, per se salutare dici non possit. Conceditur ab his & ab aliis, fieri sèpenumero, ut per febrim tanquam statum præternaturalem alius status præternaturalis corrigatur. HIPPOCR. L. V. Aph. 70. scribit: Qui quartana corripiuntur, non admodum convulsionibus tentantur, si vero tententur, superveniente quartana liberantur. Lang. epist. 16. l. i. p. 79. inquit: vidi plus centies scabiem & per aliarum febrium & præcipue quartanæ crisi in exortam sponte exolescere, citra omne medicamentorum sublidium. De apoplexia per febrem curanda HIPP. L. V. Aph. V. hæc

hæc habet: si quis ebrius repente obmutet, convulsus moritur, nisi febris incidens eum corripiat. De malo litteratorum, hypochondriaco idem gravissimus Autor L. VI. Aph. 40. ita scribit: Quibus ad hypochondria dolor est sine inflammatione sed vel ab obstructione vel a spiritu flatulento vel ab intemperie inæquali frigida, iis febris superveniens dolorem solvit. Omnes hi morbi pro sua causa agnoscunt viscidum, viscerumque obstructiones, quæ cum per maiorem MSeæ motum tam progressivum quam intestinum maiorem resolvi & referari queant, non mirum est, morbos hos per motum febrilem sæpius fuisse extirpatos. Si itaque alii ob hos effectus de febribus affirmant quod salutares sint; alii etiam ob his contrarios contrarium statuere poslunt. Experientia docet, mala, quæ a motu MSeæ majori pendent, sæpe tæpius per motus febriles produci. Sufficiat nobis unicum hunc in finem allegare exemplum. Celeberrimus Dn. SCHAARSCHMIDIVS Fautor atque Hospes olim, omni pietatis cultu æternum devenerandus casus refert de gravidis abortum ex febre percessis vid. eius Medicinische Nachrichten im

4 DISSERT. IN AVGVRALIS MEDICA

ersten Jahr Gange p. m. 135. & p. 161. Quæ quum ita sint, exinde colligimus, febrim pro diversa corporis quod corripit, conditione, nunc salutarem nunc minus esse salutarem. Jam quia omnes febres præcipue vero acutæ quatenus febres sunt per evacuationem quan-dam, in acutis crisi dictam, felicem even-tum obtinere debent; placuit, dum nobis impositum fuerit pro impetrandis summis in Medicina Honoribus specimen quoddam ede-re inaugurale, hanc in materiam inquirere. Faxit Deus T. O. M. ut labor hic in nominis divini gloriam valeat, Te vero L. B. rogamus ut hoc levigense specimen academicum beni-gne accipias nobisque faveas.

§. I.

AD veram de crisi ideam formandam opus erit, ut ejus requisita recensemamus: quia vero res est, quæ soli innititur experientiæ, & quæ pri-mum at sane ad nostra usque tempora optime ab Hippocrate tradita; optime nos quoque agemus, si ex illo ea mutuemus, quæ ad scopum nostrum spectant. Morbi acuti, dicit Aph. II. 23, inter dies quatuordecim terminantur crisi. Dein idem Medicorum sui tem-po-ris princeps requirit, ut certis morbi diebus eveniat. Coac. 8o. hæc habet: febres si alio quam judicato-
rio

DE CRISI EEBRIVM ACVTARVM. 5

rio die, desierint, recidivam metuere oportet. Expressis porro verbis inculcat, omnem crisi praecedere debere summam omnium actionum perturbationem. Libr. de Crisib. f. 20. dicit, qui paucissimo tempore sani futuri sunt, iis in totum maxima signa contingunt. Aph. II. 13. Quibus, inquit, crisis contingit, iis nox paroxysmum praecedens gravis est, quæ vero subsequitur, plerumque tolerabilius.

§. II.

Jam videamus quid Veteres de ipsis diebus criticis doceant. Hos nunquam morbi statum anticipare posse, affirmat GALENUS, dum inquit: tanto habetur omnis judicatio deterior, quanto plus statum morbi anticipayerit. De hac judicatione Divus HIPPOCRATES observavit, eam frequentissime fieri die septimo, decimo quarto, decimo septimo & vicesimo. Libr. de diebus judicator: §. 9 hæc refert: Judicantur febres quarta die, septima, undecima, decima quarta, decima septima, vigesima prima. In L. aph. Sect. II aphor. 23 & 24. hæc habet: Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur. Septimæ quarta index est. Alterius hebdomadæ octava principium est. Consideranda vero undecima est; hæc enim quarta est secundæ hebdomadæ. Consideranda rursus decima septima. Ipsa enim est quarta quidem a decima quarta, septima vero ab undecima. Idem Autor L. de prænot. §. 20. hæc profert. Placidissimæ febres & signis securissimis nientes quarto die desinunt aut prius. Malignissimæ

A 3 vero



6 DISSERT. INAVGVRALIS MEDICA

vero & signis horrendissimis oborientes, quarto die aut prius occidunt. Primus igitur ipsarum insultus sic definit. Secundus autem ad septimum producitur. Tertius ad undecimum. Quartus ad decimum quartum; Quintus ad decimum septimum. Sextus ad vigesimum. Ex his jam satis patet, acutas & continuas febres ex HIPPOCRATIS sententia septenis solvi debere diebus: hinc si alio tempore ejusmodi excretiones eveniunt, eas minus salutares sed symptomaticas esse pronunciarunt. Sect. IV. §. 37. ita loquitur: sudores febricitanti si inceperint, boni sunt tertia die & quarta & septima, & decima septima & vigesima prima & trigesima prima & trigesima quarta. Hi enim sudores morbos judicant: qui vero non sic sunt, dolorem significant, longitudinem morbi, & recidivas. Aphor. 65. Sect. VI. haec habet: Febricitanti sudor oboriens, febre non remittente, malum, moram enim trahit morbus & multam humiditatem significat. GALENUS Libr. de diebus decretoriis principes criticos vocat septimum, decimum quartum & vigesimum primum, in quibus plures sanari quam mori declarat. Secundum dierum criticorum ordinem vocat contemplabiles, indices, internuncios, quod in hisce criticos futurae in septimo die signa eluceant, si nempe fuerint cocta excrementa, & sunt hi dies semi septimi, reliquos dies inter indices & vere criticos appellavit intercalares vel etiam provocatorios; reliqui dicuntur vacui, quia nec decernunt, nec judicant, nec provocant. Medicinales dicti sunt, quia jam HIPPOCRAT.

DE CRISI FEBRIVM ACVTARVM. 7

CRAT. L. IV. de morbis dicit: Quicunque febre continua correpti cathartico diebus paribus usi sunt, hiniimum purgati sunt nunquam; at qui diebus imparibus cathartico sunt usi, nimium sunt purgati & multi perierunt.

§. III.

Quia dies index & decretorius a medico maxime contemplandi sunt, e re erit, ut videamus quomodo se manifestent, quibusque circumstantiis sti- pati sint. Pater ex supra (§. 2.) allatis diem indicatorum esse eum, ex quo Medicus judicare possit, an morbus die critico finitur nec ne. Signa itaque eruamus necesse est, ex quibus Medicus hoc angarium capere queat. Quicquid vero Medicus de eventu morbi judicare valet, id omne desumit velex indole morbi, vel ex vita robore, vel ex ægri temperamento, vel ex excretis & retentis vel ex symptomatibus morbum comitantibus. Quod ad indolem febris attinet, multum scire juvat, an sit acuta benigna vel maligna; quo enim est benignior, eo major vita spes, quo malignior vero, eo minor. Porro quo natura est robustior, eo celerius judicatur morbus: saepius sit, ut evacuatio critica ob solas vires deficiente fieri non possit: quibus auctis optima crisis contingit. Ratione temperamenti illi præcipue ad crisi apti sunt, qui alacres prompti, imo præcipites sunt, uno verbo homines temperamenti sanguineo-cholerici. Hæc quidem generaliter inserviunt Medico ad judicii sui de febris eventu in primis cri- seos

8 DISSERT. IN AVGVRALIS MEDICA

seos formationem, non vero omne punctum absolvunt. Præcipuum momentum omnino constituant signa coctionis. Jam Galenus primum inquit & maximum est considerare coctiones. HIPPOCR. L. l. epidem. Seçt. IV. aph. 71. Quibus, ait, septima die morbi judicantur, his nubeculam habet urina, quarta die rubram & alia secundum rationem. it. aph. 72. Quibus urinæ pellucidæ, albæ malæ, maxime autem in phreniticis apparent. Patet ex his quid veteres tam per coctam quam per crudam urinam intellexerint sc. per illam, quæ nubeculam habet, per hanc vero pellucidam albam. Hæc uroscopia ubique in febribus acutis exerceri debet: at in specialioribus febribus ut in pleuriticis maxime observare jubent sputamina, & in aliis ubi primarum viarum vitium simul adest, alvi excrementa. HIPPOCR. Libr. de diebus judicat. §. 8. de febre pleuristica ita loquitur: Judicatur morbus septima die, longissimus decima quarta. De Peripneumonia vero ibidem hæc habet: Symtomata patitur æger minimum diebus quatuordecim ad summum viginti uno, & tussit hoc tempore vehementer: & una cum tussi purgatur; primum quidem saliva multa ac spumosa. Septima vero ac octava die, ubi febris in vigore fuerit & humida sit peripneumonia, crassior, sin minus, non. Nona vero & decima cum virore pallida ac suberuenta. Duodecima autem usque ad decimam quartam, multa & purulenta. Atque hoc in his contingit, quorum naturæ & corporis affectiones humidæ sunt, & morbus fortis est. Quorum

DE CRISI FEBRIVM ACVTARVM 9

rum vero & natura & morbi constitutio sicca est, in his minus. Tandem ipsius diei decretorii Jodoc. Lominius in observat. Medicinal. hanc ex hibet descriptionem. Inquietam esse noctem oportere, quæ eum antecedit diem, quo die futura accessio, omnisque absolvenda iudicatio est, vetustissimus Autor HIPPocrates proposuit. Signa vero iudicationis futuræ hæc refert: Delirium, sopor, vertigo, oblio-
vio sensuum, inusitatus error, dolorque capitis, cer-
vicieis, stomachi, præcordiorum, aliarumve partium
insignis; adhæc aurium susurrus, falsi oculis objecti
splendores, invitæ lachrymæ, frequens nausea, astus,
sitisque solito vehementior, pulsus repente ordinis
redditus expers, & inæqualis, urinæ suppressio, alvi
insueta murmura. Inter has turbas ipse æger totus
angitur, & in omnem partem corporis sese varie ja-
ctat, itemque vociferatur, exilit e cubili, omnia fu-
rioso similis. Id temporis accessio febris vehemen-
tissima est, fere horæ spatio priorem antevertens, in-
ciditque magnus & insolens quidam ipsa cum acces-
sione rigor, hinc subito (si quidem bona iudicatio
futura est) profusus erumpit sudor, aut sanguis u-
bertum e naribus fertur, aut vomitus multi humoris
incidit, aut alvus multum solvit, post quæ febris
incipit tota conquiescere.

§. IV.

Circa crisi ergo experientia docet, 1) quod so-
lis conveniat febribus continua acutis; 2) quod con-
sistat in excretione quadam vel per alvum vel per

B

sudo-

10 DISSERT. INAVGVRALIS MEDICA

sudorem, vel per urinam, vel per expectorationem, vel per hæmorrhagiam, præcipue narium; 3) quod hæc ipsa evacuatio fieri debeat die critico i. e. 4to, septimo, undecimo, decimo quarto, decimo septimo, viigesimo primo; 4) quod sub & post eani æger facilis respiret, non amplius adeo caleat, pulsus fiat mollior & tardior; 5) quod omnis evacuatio extra diem criticum sine levamine fiens malum portendat; 6) quod urinæ copiose tenues quoctunque febris tempore excretæ sint symptomaticæ.

§. V.

Ex his (§. 1 - 4.) allatis de crisi circumstantiis ideam illius hanc nobis formamus: Crisis est evacuatio subitanea & copiosa die critico post signa cotionis apparentia febrim acutam solvens. Hanc a nobis definitam crisi alii exquisitam sive eccentricam vocant, minus exquisitam vero eam appellant, quæ copiosis quidem sit evacuationibus, ubi tamen plures earum requiruntur ad febris solutionem vid. Cel. JVNCKERI Consp. Pathol. p. 380. Alii crisi definiti per judicium quod medicus format de exitu febris acutæ tam salutari quam lethali. Ad horum censem Gravissimus Autor HIPPOCRATES referendus; siquidem in Libr. de Affection: §. 8 hæc habet: judicare in morbis est, cum morbi augescunt, aut minuntur, aut in aliud morbum transeunt, aut desinunt; hanc ob caussam dividunt crisi in fidam & infidam. Deinde sunt, qui plane præcedentem excretionem non re-

DE CRISI FEBRIVM ACVTARVM. II

respiciunt, sive ea fuerit subitanea sive successiva; hi, quos inter Diocles eminet, quamcunque morbi solutionem crisi appellant.

§. VI.

Quia crisis nihil aliud est quam evacuatio febrem acutam solvens, opus erit, ut dispiciamus, qua in re febris acuta consistat.

§. VII.

Symptomata in omni febre præsentia sunt horror, calor & pulsus celer. vide ill. BOERHAV. in aphoris m. de cognoscend. et curand. morb. §. 563. Horror est sensus frigoris i. e. defectus caloris. Calor nostri corporis oritur a sanguine, ergo in quacunque parte horror percipitur, ibi deest sanguis: inde sponte sequitur, cum in febre tota cutis superficies horripilatione corripiatur, totam illam sanguinis tunc temporis esse expertem; ergo aut loco liquidi purpurei aliud fluidum aut plane nullum ei inest: jam si aliud fluidum ei inest, saltem eandem nisi majorem haberet intumescientiam; cum vero præsente horripilatione non dicam frigore tota cutis superficies mirum inmodum detumescat, patet, vasa cutanea aliqua ex parte & vacua & constricta esse. Causam hujus constrictionis hanc nobis concipimus. Omnes febres oriuntur vel a caufa interna vel ab externa. Ad hanc præcipue pertinet transpiratio impedita, præfertim post excalscentiam corporis tam a caussis in-

B 2

ternis

12 DISSERT. IN AVGVRALIS MEDICA

ternis quam externis productam. Hoc impedimentum fit per refrigerationem , per hanc constringuntur vasa cutanea , ut humores in illis contenti non possint evacuari, sed per constrictiōnem ad interiora repellantur, ut inde frigoris sensus oriatur. Ad causam internam, omnem illam referimus, quæ primo cum sanguine fuit communicata. Hæc vel sanguinem inspissat, vel resolvit, vel vasa acrimonia sua stimulat: si est viscida cum tota MSeæ per circulum ejus commixta, penetrabit quidem sanguis viscidus in oscula vasorum minimorum, sed ob suam visciditatem non ulterius penetrabit, ut hinc reliqua pars talis vasculi minimi vacua maneat, & hanc ob causam se se constringat. Jam, si materia MSeæ admixta, illam resolvat, orietur aliqualis exagitatio illius, qua sit, ut si vascula minima penetret, ea preter naturam expandat ; per quam expansionem ad fortiorē constrictiōnem excitantur, cui cum earum compressio, quæ a vasis fit majoribus, accedat ; ad tantum gradum sese constringunt, ut sanguis vel plāne non, vel potius minima ex parte illa intrare queat. Si ejusmodi materia, in MSeam illata est, quæ acrimoniam habet, cuilibet modus patet, quo vasa constringat. Per hanc constrictiōnem vasculorum tam cutaneorum quam reliquorum in toto corpore existentium minimorum, intercipitur circulus sanguinis in his ipsis vasculis, & cum eorum copia omnino satis sit numerosa, omnis ille sanguis, imo & reliqui humores, qui secundum naturam ab illis recepti fuissent,

ad

DE CRISI FEBRIVM ACVTARVM. 13

ad interiora repelluntur, & in illa vasa penetrant, quæ ad hucdum sunt aperta i. e. in vasa maiora. Se-
nex Venerabilis FRIDER. HOFFM. in Diss. de Origine
febrivm §. 6. de hac constrictione ita loquitur:
Quandocunque itaque has teneras nerveas & tendi-
nosas cutis partes spasmus exagitat, integumentum
hoc constringitur, vasa comprimuntur, pori ac
meatus, qui sudorem evehunt, angustantur, unde
habitus corporis subsidet, detumescit, venæ dispa-
rent atque excretio per sudorem cohibetur, glan-
dulis miliaribus sub cute positis compressis, & par-
tes extremæ frigore & horrore corripiuntur propter
copiosos nervorum surculos a pari vago intercostal-
i cervicali secundo, brachialibus, dorsalibus & infe-
rioribus lumbaribus ad universam cutim extensis,
qui spastico motu agitati horrorem vel etiam rigo-
rem producunt. Solet vero hic spasmus non tan-
tum in cute subsistere, sed, si vehementior est, ad
partes etiam interiores vagatur & fermetotum mem-
branosum genus in consensum trahit, &, ubi peri-
cranium occupat, gravem cephalalgiam parit: in
periostio contusivum dolorem, qui quartana cor-
reptis perquam familiaris est, suscitat. Cum vero
ad plexus melentericos dispergitur, gravem & pres-
sorium dolorem circa primam lumborum verte-
bram, ubi horum nervorum sedes est, ingenerat. Quia
vero hæc strictura, etiam spastica ad ventriculi & inte-
stinorum membranas procedit, hinc alvus claudi-
tur &c. Et quia ingens consensio propter commu-

B 3

nionem

14 DISSERT. IN AVGVRALIS MEDICA.

nionem nervorum, ventriculi est cum renibus, hinc urina, quæ prælente frigore ac horrore profunditur, tenuis ac clara sine sedimento fertur. Ex hydrostaticis scimus, motum fluidi, quod in pluribus canalibus inter se communicantibus movetur, si eorum quidam obstruantur, in reliquis adhuc apertis tanto reddi majorem, quo plures canalium fuerint occlusi; ergo necesse est, ut sub horripilatione motus MSeæ in vasibus majoribus mirum in modum increascat. Hanc ob caussam cor ad majus spatum extendi deberet, cui tamen constrictio vasculorum cordis minimorum resistit; quæ etiam ratio est, cur arteriæ non ad tantum spatum extendantur, nec cum tanta vi, quanta quidem necessario fieri deberet, nisi dicta vasculorum minimorum constrictio obesset.

§. VIII.

Hæc vasculorum minimorum constrictio eo promptius & facilius tolli poterit, quo minor illa ipsa est. Quo mitior est horripilatio, eo minor est dictorum vasculorum contractio, ergo quo tolerabilius est sensus frigoris, eo citius cessabit. Caussam in febris horripilationem giguentem, triplicem esse affirmavimus sc. vel viscidum, vel sanguinem paullulum rarefactum, vel acrimoniam. Jam assumimus, per motum majorem & pulsus celeriore MSeam resolvit, nec non obstructiones quasunque nostri corporis internas per ipsam tollit MSeam, hinc cum sub horripilatione in majoribus vasibus sanguinis motus increascat (§. 7.) pulsus fiat celerior, ipsa MSe ob has caussas resolvetur, quo apta sit, in viscidum vascula

DE CRISI FEBRIVM ACVTARVM.

15

vascula minima obstruens penetrandi, illiusque co-hæsionem dissolvendi, quo ipso efficitur, ut circu-lus sanguinis in illis vasis obstructis restituatur. Ex his cuilibet patet, tanto longius requiri tempus ad viscidi resolutionem, quo illud ipsum in eminentio-ri gradu tale est. Idem fit ubi materia non viscida quidem vascula obstruens adest, sed MSeam rarefa-ciens: nam cum sub horripillatione ex demonstratis MSea maiori gradu resolvatur, globuli illius minor-es redditи etiam in vase aliqua ex parte constricta penetrare & per illa circulari possunt. Quod ad materiam acrem attinet, illa vel est viscida vel sub-tillis MSeam resolvens: ergo cum de his jam actum sit, non opus erit, de iesa speciatim aliquid addere.

§. IX.

Omnis itaque febris præsupponit materiam quandam motum majorem in tota MSea excitantem. Ex physicis notum est, omnem actionem aequalem esse reactioni, hinc si corpus quoddam, quod validissimam vim exerere potest, contra corpus quoddam tantam vim insitam non possidens agat, aetio ejus longe minor erit, ac si idem corpus sub iisdem circumstan-tiis in aliud corpus, quod majori vi insita gaudet, a-geret. Ex his colligimus, in explicatione morbo-rum a materia quadam illata ortorum, non solum vim materiae illatae insitam considerandam, & ab ea ad ef-fectos quos producit, esse concludendum, sed & vim illius subjecti, in quo illa materia hæret, insitam si-mul in consilium esse vocandam. Ex his subsumi-mus, in explicatione febrium non solum respicien-dum



16 DISSERT. IN AVGVRALIS MEDICA

dum esse ad materiam sive caussam proximam illam inferentem, sed & ad constitutionem corporis quod ea infestatur. Hæc ratio est, cur diversa subjecta una eademque febris species laborantia non eandem noxam inde reportent, sed v.gr. Cagus succumbat, Titius vero sanitati restituatur. Ex eodem principio derivandum est, cur transpiratio post corporis excalescentiam suppressa, in alio subjecto producat febrim acutam, in alio vero solos motus febribes; imo cur in hoc subjecto hæc febris species, in alio vero alia oriatur v.g. in uno generatur febris acuta sine, in alio vero cum exanthematibus.

§. X.

Febris acuta ab intermittente se se distinguit in eo, quod symptomata febrem comitantia in hac ad aliquod tempus plane cessent, in illa vero nunquam; a lenta vero, quod in hac omnia symptomata sint mitiora, in illa graviora. Ergo causa proxima febris, in acuta continuo agit, in intermittente vero certis tantum temporibus. Porro in acuta majori vi agit, in lenta vero minori. Jam cum motus auctior immediata sit febris causa, sequitur, ut id quod illum producit, in acuta semper & cum vehementia agat. Monstravimus (§o. præced.) motum hunc auctiorem diversimode induci & exaltari posse pro diversa subjectorum constitutione, quid ergo mirum? quod difficile sit negotium in uno quoque subjecto dijudicandi, cui caussæ febris qua jam laborat, ortum suum debeat. Cum itaque in febrium explicatione constitutio

DE CRISI FEBRIVM ACVTARVM. 17

stitutio corporis simul attendenda est ; jam quædam
hujus argumenti momenta breviter considerabimus.

§. XI.

Primum locum obtineat diversitas temperamen-
torum. Horum merito quatuor a philosophis sta-
tuuntur pura sc. sanguineum, phlegmaticum, chole-
ricum & melancholicum. Quorum fundamentum
sive queras in diverso sanguinis circulo, sive in di-
versa sanguinis temperie id tamen universaliter ve-
rum est, proportionem partium MSeam constitu-
entium in unoquoque horum temperamentorum dif-
ferre. Quum vero certum firmumque sit, fibras no-
stræ corporis solidas nutritri a MSea, non possunt non
hæ ipsæ fibræ inter se differre, prout MSeæ ex quibus
nutriuntur, inter se differunt. De sanguineis con-
stat, eorum corporis habitum esse molle, spongiosum,
tonum partium solidarum moderate tensum.
Pulsus in his oblervatur moderatus & æqualis, hinc
ad se- & excretiones prompti sunt. Phlegmaticis cu-
tis ad tactum lœvis ac humido frigida est ; tonus fi-
brarum flacidus & color pallidus. Pulsus eorum
languidus & rarus oblervatur, hinc se- & excretiones
segnius in iis procedunt. In temperamento cho-
lerico corporis habitus est stricior duriorque. Ca-
lor in illo est auctior: pulsus omnes reliquos celeri-
tate & vigore superat; hinc se- & excretiones alacri-
ter administrantur. Tandem in melancholico of-
fendimus corporis habitum strictum, densum & sic-
cum: tonum partium fibrosarum magis tensum; ca-

C

lorem

18 DISSERT. IN AVGVRALIS MEDICA

lorem exiguum, pulsum tardum, fortē magnum & plenum, hinc se- & excretiones tardius in iis perficiuntur.

§. XII.

Pergimus ad status præternaturales quidem, nondum vero eosque progressos, ut impotentiam agendi sive morbum induixerint: de quibus brevissimis haec addimus. Plethora, quæ est nimia sanguinis abundantia, ob hanc ipsam excedentem copiam, quia nullibi est nisi in vasis, ea tanquam canales extensibiles præter naturam expandit; per quam expansionem præternaturalem vasa robur suum amittunt, id quod in omnibus plethoricis laborum haud patientibus experientia docet. Causa vegeti sanguinis circuli est actio cordis & arteriarum sufficiente vi in sanguinem non nimis resistenter fiens. Ergo si musculi cordis & fibræ arteriarum musculosæ a robore suo aliquid amiserint, circulatio omnino non adeo vegeta esse potest, præterim si resistentia, quam sanguis novendus dat, pro majori ejus copia proportionate crecat: quod cum verum sit, majori sanguinis copiam, majori vi impulsui cordis & arteriarum resistere, patet, per plethoram circulum sanguinis dupli ex causa retardari. Porro cum sanguinis motus intestinus multum per motum ejus progressivum promoveatur, non potest non sub sanguinis circulo segniori etiam ejus intestinus debilitari: hinc morbi illi, qui in Pathologicis plethora tri- buuntur.

§. XIII.

§. XIII.

Jam si corpus cacochymicum consideremus, illud ex omnium medicorum consensu pro specie cacochymiae, ad varios morbos dispositum est; in quibus recensendis desudare superfluum est.

§. XIV.

Hæc omnia (a §. 11-13.) ad ortum & febris incrementum multum conferunt, eaque diversimode determinant. Nam cum febris incrementum nihil aliud sit quam augmentum motus totius MSeæ majoris, illudque oriatur, dum motus ex quacunque causa in MSeæ major producetus MSeam exagitet, per hanc exagitationem vasa expansa majori vi sese contrahant, hinc etiam majori vi in eandem agant, quo illius exagitatio de novo incrementum capit, sponte fluit, cum ad motum in MSeæ producendum & motus intestinus & progressivus requirantur, eum causa quadam motum citatiorem excitante, in corpore præsente, pro diversa MSeæ & partium solidarum constitutione vario modo modificari. Hinc, cum pro temperamentorum diversitate, it diversa lantuinis copia, nec non pro varia cacochymiae specie, si quæ in corpore latet, & MSeæ & partium solidarum conditio differat, patet ratio, cur homines qui horum respectu inter se differunt, si eadem febris specie corripiantur, tamen non eodem modo ab ea affligantur nec eadem symptomatum vehementia in illis occurrat.

§. XV.

Pro diverso febris incremento differt etiam ejus declinatio, quæ est illud febris tempus, in quo sym-

C 2

toma-

20 DISSERT. IN AVGVRALIS MEDICA

tomata febrilia cum levamine ægri mitigantur, usque dum plane cessent. De hoc tempore experientia docet, quod 1) quo vehementiora omnia sint infebris incremento, eo citius declinatio incipiat, & 2) eo breviori temporis spatio ipsa declinatio absolvatur. Ergo ratio brevioris declinationis, tam respectu termini a quo quam ad quem, hæret in febris incremento. Ipsa vero declinatio fit, vel per crisis, vel per lysin; ergo in incremento querendum, cur alia critice, alia vero per lysin solvatur. Crisis fit per evacuationem vel sanguinis vel humorum secretorum, ergo inquirendum quomodo per motum febris auctiorem ejusmodi evacuationes instituantur.

§. XVI.

Secretio fluidi ex fluido nihil aliud est ex mente celeb. HAMBERGERI, quam separatio quarundam partium fluidarum inter se homogenearum ex alio fluido heterogeneo, cui erant commixtae. Ad hanc separationem respectu viarum requiritur, ut illæ sint apertæ, alias enim nullum fluidum illas intrare potest; hinc neque constrictæ, neque compressæ esse debent. Constrictis visceris cujusdam canaliculis secretioni humorum destinati subtilissimis, secretiones, vel plane cessare, vel admodum parca copia procedere, inter alia clare monstrant morbi renum calculosi, dolores colici, iæterus &c. ubi secretio bilis in hepate, vel ex toto, vel ex parte, tam per constrictionem, quam per ejus obstructionem tollitur. Per obstructionem a materia quadam in vasculis hærente facta secre-

DE CRISI EEBRIVM ACVTARVM.

21

secretionem impediri posse, manifesto nos docent plurimorum effectus emplastrorum; quippe quæ ex rebus viscidis composita, si per aliquot dies uni parti continuo incumbant, transpirationem illius adeo imminuunt, ut sèpenumero rubor non solum inflammatorius, sed & gangræna inde oriatur. Compressionem itidem secretionem præpedire posse, vel ex eo patet, quod vasculi parietes compressi sese contingunt, hinc fluido intranti via præcludatur. Porro ratione solidorum requiritur, ut sufficienti polleant robore; nam quum verum sit, omnem motum progressivum fieri in nostro corpore maxime per actionem solidorum, sequitur, ut & fluida secreta h. e. in uasis secretoriis iamiam hærentia per actionem constrictoriam parietum illorum vasculorum, in quibus continentur, ulterius, sc. in vasa excretoria propelli debeat: quæ ratio est, cur in subjectis debilioribus secretiones non adeo promte eveniant quam in robustioribus, licet alias caussas concurrentes non excludamus. Respectu fluidorum necesse est, ut partes secernendæ a reliqua MSea separentur. Nam cum secretio fiat in vasis subtilissimis, id quod glandulæ structura monstrat; & physica experimenta ostendant, non quodcunque fluidum quemcunque intrare canalem capillarem, sed potius leges observare adhæsiōnis a Viro celeb. supra laudato HAMBERGERO primum demonstratas sc. ut omne fluidum, quod talem canalem penetrat, sit vel specificē æquale, vel specificē levius, hinc specificē gravius plane excludatur, sequitur, ut omne fluidum secernendum a cohæsione cum MSea

C 3

sit



22 DISSERT. IN AVGVRALIS MEDICA

sit liberum , adeo, ut simulac vasculum secretorum contingat, cum hoc vaſculo cohæreat , & quidem majori gradu quam cum reliquo fluido cui erat commixtum. Eadem separatio fluidorum a se invicem involvit etiam imminutionem partium fluidarum ratione magnitudinis. Anatome cum arte iniectoria docet, diametrum osculi vasis secretorii admodum esse exiguum, qui si comparetur cum magnitudine globulorum MSeæ , hæc illum longe excedit ; ergo opus est, ut dicti globuli in partes longe minores dissolvantur, i. e. in serum commutentur. Hoc ipsum serum per circulum sanguinis magis adhuc dividitur, ut ad secretiones aptius evadat. Ex his apparent, quod secretiones eo promptius evenire possint, si omnia viscera secretoria sint aperta; ipsa vero MSeæ per auctiorem ejus motum eo modo resolvatur, ut partes cum visceribus secretionibus destinatis vel specificè æquales, vel specificè leviores evolvantur.

§. XVII.

Quamprimum tales evacuationes, quæ resolutionem partium MSeæ crassiorum factam manifestant, contingunt, Medici dicunt, coctionem fieri MSeæ. Ex omnibus autem solemnibus evacuationibus maxime consideratur urina: ex qua ut plurimum signa coctionis defumuntur. Prudens vetustas omnem urinam albam pellucidam crudam vocavit, eam vero coctam, quæ nubeculam habet. Maxime sc. attenderunt ad urinæ sedimentum; cuius bonæ notæ hæ sunt: 1) ima quidem petat, non vero ipsi fundo adhæreat, sed suspensum sit: 2) non sit dilaceratum,

tum, sed inter se quasi cohæreat: 3) infima ejus pars lata, suprema vero sit acuminata, sive ut Medici loqui amant, pyramidalem habeat figuram; 4) non debet esse coloratum, sed album; 5) quoad consistentiam suam debet esse æquale, porro 6) omne sedimentum bonum non debet esse foetidum, ex foetido enim semper mala formatur prognosis: denique 7) ratione temporis sedimentum, quod ab initio febris statim sese ostendit, nisi periculum minitetur, attamen non adeo bonum est, ac si plane nullum adesset: illud vero quod in febris incremento subsidet, nisi sit nimis copiosum, male figuratum, mali coloris & odoris, pro bono habetur, id autem pro optimo, quod die critico formatur & morbum levat.

§. XVIII.

Hæc boni sedimenti prædicta satis sufficienterque nobis ostendunt MSeæ conditionem, ex qua tale sedimentum secernitur. Nam quia omnis secrecio præsupponit sanguinis resolutionem, sequitur, ut & bonum sedimentum illam involvat. Jam cum id constet ex partibus inter se ad vivum saltim homogeneis, patet resolutionem fuisse in tota MSeæ æqualem. Ad hæc cum sedimentum ima petat, exinde apparet, partes sanguinis crassiores non solum tanto gradu fruſſe imminuras, ut per vasa minima penetrare potuerint, sed & a cohæsione cum reliquis partibus magna ex parte fuisse liberatas, id quod ex earum a reliquis secessu & ad fundum deſcensu recte judicatur. Porro quia odor boni sedimenti non foetidus, sed potius illi similis, quem urina sana spargit, facile

24 DISSERT. IN AVGVRALIS MEDICA

Ie quilibet inde argumentatur, resolutionem MSeæ non esse putredinolam, sed talem per quam partes abundantes morbumque nutrientes separatae seceruntur. Denique cum idem sedimentum non statim a febris initio excernatur, sed in incremento illius, manifestum est, resolutionem MSeæ non a febris principio statim talem esse, qua illa ad secretiones apta reddatur.

§. XIX.

Ille dies, in quo tale sedimentum primum conspicitur, dies audit indicatorius; qui quo citius apparet, eo celerius quoque consequitur crisis. Ergo quo promptius MSeæ hunc in modum resolvitur, ut sedimentum in urina appareat, eo celerius ad illum statum perducitur, quo copiosa contingit evacuatio. Ex circumstantiis crisi comitantibus cuilibet rem curatius ponderanti apparet, eo tempore, quod crisi immediate præcedit, talem in corpore contingere mutationem, qua vascula totius corporis minima materia quadam obstruuntur; per quam obstruktionem fit, ut circulus sanguinis mirum in modum perturbetur, vasa expandantur, unde omnia illa symptomata crisi præcedentia sunt derivanda. Jam si hæc ipsa materia ejusmodi indolis sit, ut per motum majorem ex vasculis minimis propelli queat, hanc symptomatum exacerbationem subsequetur sensibilis eorum mitigatio: hoc modo ipsa crisi perficitur.

§. XX.

Hanc evacuationem criticam vario modo imminui imo plane impediri posse & ratio & experientia

DE CRISI FEBRIVM ACVTARVM. 25

tia diſtitat. Huc referenda ſunt tam ipsa materia ma-
ligna cum MSeā communicata , quam conſtitutio
corporis febre correpti; dein ægrotorum diæta, nec
non ipsorum proh dolor! multorum medicaminum
ulus. Posito enim, materiam MSeæ illatam ejus
fuifile virtutis, ut putredinoſo-gangrænofam fermenta-
tionem in illa excitaverit, quid mirum, ſi loco e-
vacuationis & ipsius hujus materia malignæ & par-
tium male per illam evolutarum itaſis atque stagnatio
in partibus ad vitam neceſſariis orta mortem inferat?
Porro ſi nobis fingamus ſubjectum, quod v. g. per
præcedentes morbos ſumme fuerit debilitatum, fe-
bre infestari, qui fieri poterit, ut vires vita ſufficient
tam partes peregrinas MSeæ immixtas quam partes
MSeæ per peregrinas corruptas per loca ſecretoria
expellendi? Quibus ſi accedant animi affectus, præ-
primis mœror, triftitia, ira; nec non vitia ratione e-
ſculentorum & potulentorum commiſſa, quibus ne-
gotium digestionis turbatur, facile evenire potest, ut
æger febri ſuccumbat. Tandem per ipſam ſepiuſ
medicationem tam a verulis quam ab iplſis Medicis
fuſceptam niſi ipſa mors inferatur, attamen per illam
critica evacuatia ſuspenditur. Nam mirandum eſt,
celeberrimorum Medicorum eſſe plurimos, qui una-
nimiter affirmant, quod criticae febrivm ſolutiones
in rusticis nullo prorsus medicamine ſublevatis fre-
quentiſſime confiſciantur. Errant certe illi qui exinde
colligunt, omnium medicamentorum in febribus
uſum omnino eſſe noxiū. Exhibeantur medicamen-
ta æqualem ſanguinis circulum promoventia, & cer-
tissime

D



26 DISSERT. IN AVGVRALIS MEDICA &c.

tissime usum praestabunt optatissimum. Contraria ex parte si propines medicamenta incrassantia, refrigerantia, vegetum sanguinis circulum impediendo, variisque stasibus ansam præbendo, retardabis subitanas evacuationes, de quibus Prosper MARTIANVS comment. in libr. II. de morbis secl. II. continuo, inquit, refrigerantium usu, (propter febrim) incrassatis humoribus corporibusque densatis spontaneæ evacuationes sæpe prohibentur, ut hæc non sit levis causa, cur nostris temporibus tam raro fiant crises, quæ frequentissimæ erant antiquis. Celeb. BAGLIVIUS in prax. med. p. 254 Mirari desinant, inquit, practici, si hodie nec frequentes nec perfectæ succedant crises ut olim in Græcia; siquidem illi græcarum legum vel ignari vel obræctatores, a principio morbi ad declinationem usque purgantibus, diaphoreticis, phlebotomiis, spirituosis, aliisque imprudenter & intempestive exhibitis medicamentis fere conficiunt ægrotantem; ideo impossibile est, ut humores per tam diversas remediiorum seditiones distraicti ad criticae despumationis negotium stato tempore disponantur; sed assiduis confusionibus agitati, loco criseos perfectæ in metastases præternaturales desinant, atque hac de cauſa, nec criticos, nec dierum criticorum, nec aliorum demum naturæ motuum regulas ab antiquis traditas in febribus observabimus. Ergo circa medicamenta in febribus exhibenda proverbium illud valet: tollatur abusus & maneat usus.

T A N T V M .

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOM. CANDIDATO

S. P. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS

ACADEMIAE FRIDERICIANAE SENIOR.

Gratulor TIBI egregios in arte salutari profectus, quos assiduo multorum annorum studio comparasti. Tenuit TE Jenensis academia in quartum annum: quo tempore philosophiae excolende & jaciendis medicæ doctrinæ fundamentis, quibus altiora imponeres iecisti. Adiisti deinde Berolinum, ibique usus fuisti illis apollineæ artis subsidiis, quæ clementissimorum Regum nostrorum providentia exhibet illis, quicunque uti illis cupiunt. Venisti tandem in nostram academiam ut perficeres bene coæpta, & curriculo studiorum finem imponeres felicem. Superasti examinatione legibus prescripta, TEque talen comprobasti, qui omnium calculos promeritus ad capessendos honores cum laude dimitteretur. Faxit DEVS, ex cuius propvidentia & benignitate successus eorum, quæ mortales conantur, unice pendet, ut ad plurimum humani generis fructum conferas doctrinam tuam, & diutissime valeas. Scripsi die XXVII. Octobr. MDCCXLII.

IUVENI
PRAECLARO ET EGREGIE DOCTO
DOMINO CANDIDATO
GOTTLIEB HERTEL
MVLTAM PRECATVR FELICITATEM
D. IO. IVNCKER

MED. PROF.

CRISEOS nomen a plebeio quodam homine
primum inauguratum esse, historica fide
confirmamur. Is enim cum agrotantem
quemdam anxiō astu flagrantem, inquietum, cla-
mantem & denique copioso sudore perlutum obser-
uasset, obstupescens pronunciasse fertur: quod de
vita istius agroti iudicium nunc ageretur. Quis
autem putasset, tropicam hanc indocti & ignobilis
hominis locutionem, a foro iudicario desuntam,
tantum adplausum tantamque existimationem de-
mum accepturam esse, ut in doctrina medica sin-
gularem titulum & locum obtineret. Hac enim
allegoria Medicorum auctoritate non solum proba-
ta

ta & in medicinam transferendo comprobata, sed
progrediente quoque tempore ulterius ita exorna-
ta est, ut actorem, testes, reum & iudicem ad in-
dicium istud medicum excogitanerint. Et licet
similia plerumque paullulum claudicare soleant:
baud incongrue tamen querela agrotantis cum a-
ctore, varia caussarum attributa cum testibus,
materia peccans cum reo, & natura, morbosam
materiam expellens, cum iudice comparari possunt.
Interim nemo facile inficias ibit, doctrinam de cri-
sibus multas innoluere difficultates, ideoque pro-
hibere, quo minus copiosiores fructus, quam quos
euentus abhuc probauit, ex ea capere possimus.
Quare conatus TVOS, clarissime CANDIDATE,
non possum non laudare, quod hanc materiem dis-
sertatione inaugurali euoluendam suscepisti. Quam
vti ipsem et scripsisti, ita quoque sine Preſide
(quod rarum & praeclarum est) eandem defendes.
Ego vero & animi TVI modestiam & studiorum
profectus semper estimauit: ideoque ex decreto Fa-
cultatis nostrae gradum Doctoris latus TIBI confe-
ram; certo confidens, officia TVA medica rei pu-
blicae futura esse fructuosa. Vale D. D.

XXVII. Oct. MDCCXLII.

Gelehrsamkeit und kluge Thaten
Vergnügen, fruchten; und mit Recht.
Denn, ist die Saat erwünscht gerathen,
Wie? wird dann wol die Erndte schlecht?
Mit Grund viel wissen bringet Ruhm:
Es läutert Sinnen, Witz und Kräfte;
Es lenkt den Willen heilsam hin,
Und zeugt die nützlichsten Geschäffte.

Aus diesen Quellen strömt Vergnügen.
Man opfert sich mit vieler Lust
Dem, der durch gnädiges Verfügen
Den Schatz geschenkt, so uns bewußt.
Man bessert Willen und Verstand,
Und was wir denken, reden, schreiben,
Wird zu der Bürger wohl verwandt,
Weil uns gerechte Regeln treiben.

Ein solches rühmliches Exempel,
Gibst Du, gelehrt beglückter Freund!
Da heut in der Hygæ Tempel
Die Frucht von Deinem Fleiß erscheint.
Du kennst der Weisheit Kost. Du weißt,
Was Meditriens Sätze lehren,
Und daß ein Arzt eins nurbar heißt
Wenn ihn viel kluge Thaten ehren.

Drum legt die Weisheit, Dich zu crönen
Selbst frische Zweige um Dein Haupt.
Glück zu! Eil, zeige, wo die Thränen
Der Kranken flehn, was Dir erlaubt?
Das Glücke windt! Auf folge nun
Der besten Aerzte sichern Spuren,
So lenkt der Himmel stets Dein Thun,
Auf edle und bewährte Euren.

Doch,

Doch, gönne, daß Dir Pflicht und Liebe
Noch Dank für Deine Liebe weihen.
Denn süßer Umgang, edle Triebe,
Verstand und Tugend bringen ein.
Dein angenehmes Bild, so mir
Durch Dich fest ins Gemüth gepräget,
Bleibt. Erennt mich nun der Ort von Dir
Wohl! wenn sich nur Dein Bild noch reget.

Dieses schrieb mit eifriger Hand dessen Herzens
Freund

IOH. FRIEDR. TSCHEPIVS

M. D.

Die alte Welt herrscht nun nicht mehr,
Da Fabeln statt der Gründe taugten;
Denn die betrogen sich zu sehr,
So stets aus ihren Quellen saugten.
Es lebten Wiz und Tugend zwar
Schon in der ältesten Weisen Schaar;
Allein in gar zu engen Schranken.
Man kannte einen Gott; die Welt,
So weit sie in die Sinnen fällt;
Doch meist mit zweifelnden Gedanken.

Man lehrte, dachte, sang und schrieb,
Und wusste bald mit Ernst, bald Grillen;
Wenn Hören noch ein Zweifel blieb,
Den eingefränten Wiz zu füllen.
Die Noth war da. Wer sich gelehrt,
Und reich und groß und hochgeehrt
Und angebetet wissen wollte,
Der mußte was er falsch erdacht,

Und



Und einem Grundsatz gleich gemacht,
Verfechten, was er leugnen sollte.

Doch dieses uns verhaftete Bild
Entdecket mehr die düstern Zeiten,
Wo hinter Aristoteles Schild,
Viel Pfaffen vor Minerven streiten.
Gewiß das Beispiel von Athen,
Läßt deren Ruhm nicht untergehn
Die ihre Sinnen aufgekläret,
Die nur der Wahreheit Platz vergönnt,
Und den alleine klug genennet,
Der seinen Satz durch Grund bewähret.

Allein auch dieser kluger Ruhm
War noch mit Dunkelheit umflossen.

Die Tugend hieß ihr Heilichum,
Ihr Ursprung aber blieb verschlossen;
Denn diese Helden mussten oft
Aus Jerethum; vielmals, unverhofft
Aus Klugheit, Wind für Wahreheit lehren,
Theile einer ungeheuren Macht,
Die weise Männer wenig acht;
Theils grösßer Thorheit abzuwehren.

Jetzt aber da der Weisheit Glanz
Europens meiste Felder decket,
Schmückt manches Haupt ihr Ehren-Crank,
Weil sie die tote Welt erwecket.
Was Griechenland im Finstern sah,
Steht nun in vollem Glanze da;
Was jenen an Gewissheit fehlte,
Liegt theils entdeckt, theils sucht der Fleiß
Durch sichern Grund; man merkt und weiß
Den Mangel, der die Griechen quälte.

Da

Da nun der Wizigen Geschlecht
Jetzt in dem schönsten Wachsthum steht,
Und der Gelehrten Licht und Recht
Sich mehr durch kluge Zucht erhöhet:
So wird ein Mensch der Wahrheit liebt,
Und sich in Wissenschaften übt,
Den Titel des Gelehrten missen,
Wenn er der Philosophen Frucht
Nicht treu auf guten Stämmen sucht,
Von der so viele Völker wissen.

Der Pöbel denkt bloß nach dem Sinn:
Er weiß von vielem viel zu sprechen;
Doch, weißt man ihn auf Gründe hin,
So kann er kaum die Schalen brechen:
Allein Gelehrte müssen sehn,
Dass, wie, warum ein Ding geschehn;
Und wer so rein, so fertig denket,
Der heißt gelehrt. So schliesst nun,
Ihr Muten ihrs ein kluglich Thun,
Wenn uns der Sinnen Herrschafft lenket?

Es steht demnach der Satz gewiss:
Gelehrte muss die Weisheit führen.
Wo sie nicht strahlt, herrscht Finsterniß,
In der die Ungelehrten sitzen.
Auf Köhler Glauben hält man nicht
Wenn man jetzt mit Gelehrten spricht;
Ein Weiser will nun Gründe haben
Wo denn dergleichen Stufen sind
Wo man das Gold der Wahrheit findet.
Da muss ein Philosoph nachgraben.

Wohlan, so forsehe Du auch heut,
Geliebter Bruder; denn an Gründen
Kann Meditimens Heer erfreut

E

Noch

Noch manchen reichen Vorrath finden.
Was ehmals Hippocrat, Galen,
Ein Celsus flug, mit Vorsicht, schön,
Obwohl in Dunkelheit gelehret,
Das macht der Weisheit lichter Schein
In unsren Tagen klar und rein,
Da man die Heil-Kunst gründlich höret.

Der Lehren Schluß, so Deinem Fleiß
Den Doctor-Hut zum Zeugen setzet,
Das Dir bisher so mancher Schweiß
Die Schläfe nicht umsonst genezet,
Vergnüget mich. Doch wird Dein Wohl,
Das, wie mein Wunsch, sich mehren soll,
Erst durch gehaufte Thaten steigen;
Wenn Du an vielen Kranken weist,
Dass der kein Arzt bey Klugen heist,
Von dessen Eur nicht Gründe zeugen,

Mit diesen wollte aus der Ferne seine Pflicht
und Freude seinem geliebtesten Bruder
Anspach den Oct. anheute darlegen

1742.

Georg Hertel

Jur. Cand.

PRÆ.

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
AMICO

INTER PAVCOS DILECTISSIMO
OMNEM PRECATVR FELICITATEM

P. N. NYEGAARD

DANVS, STVD. MEDIC. OPPON.

Dvo sunt medicina fulcra, quibus rationalis certitudo medica nititur, Ratiō sc. & Experientia; Quis non videt medicinam, vera & rationali causarum connexione certoque nexo etiologico neglečto, puram & incertam esse Empiriam, & vice versa firmam & plenariam certitudinem medicam impossibile obtinēti, sine diurna & circumspecta observatione & attentione practica tam ratione morborum & symptomatum, quam ratione remediorum progressus & eventus, pro diversitate temperamentorum, atatis sexus, Climatis, consuetudinis & sensibilitatis. Hoc recta menuis trutina considerato, facile patet non sine ratione Medicos quasi uno ore calculum dicto D. Hippocrat. adjicere, quando in Aphorismate suo profert: Ars longa, vita brevis, occasio praeceps, experimentum fallax, iudicium difficile. Thēma sane magni ponderis continet dissertatio TVA inauguralis, quod in schola Medica nodus Gordii fuerit, nisi ratio & experientia vinculum hoc fere inexplicabile solvissent. Cui enim non constat mysterium illud profundum economia motuum in Crisibus; materia illa agilissima, miasma illud balitiosum pestiferum, sulphureum, organicum, preparatur, seceruntur, excernuntur apto & certo

certo tempore, certis locis, certisque organis, que, quamvis ad corruptionem sint pronissima raro tamen in corruptionem abeunt. Et sicut non licet, nac Phænomena sine ratione sufficienti & experientia certa explicare, sic dissertatio TVA magnum eruditonis specimen praebet, simulque ostendit, TE haud illois manibus studium Medicum absolvisse. Et cum in eo sis, ut industria TVAE præmia reportes, ex pleno pectore summos jam ab ordine Medico TIBI ex merito decretos honores capessenti gratulor: Fasit Deus ter O. M. ut bisce honoribus diu bene & ex voto fruaris, in TVAM utilitatem, Familie gaudium, agrotantium auxilium levamen atque solatium. Ad ultimum verba bacce tria in paucis Amice Carissime in memoriam sempiternam revoca, me esse fuisse futu-
cum esse amicum ad rogos paratissimum. Vale & nubi save.

Dabam Hale Magdeburg. d. 29. Octobris 1742.



01 A 6545



Sb.

V D 18

VON

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

CRISI FEBRIVM ACVTARVM

QVAM

CONSENSV GRATIOSÆ FACVLTATIS
MEDICÆ

PRO GRADV DOCTORIS

Ad d. Octobr. Anno MDCCXLII.

PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET

GOTTLIEB HERTEL

SICKERSHVSA - ANSPACENS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

